Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2115
Quelle:
Copyright:

liberatrici commendans. ultimum huius uitę diem in ipso quo uiderat uisionem loco feliciter compleuit. Beatoque fine prestante domino ad ęternam gloriam transmigrauit &c. Aliter Impressa, quae, qui volet, conferet.

II. *fol.* 13. *Incipit Ammonitio Venerabilis Bede Presbiteri De Laude Caritatis. Et Quomodo Cunctis Virtutibus Preferenda Sit.* Initium: *Tue non immemor petitionis. hanc commonitiunculam pro anime tue profectu. o karissima mater tibi ut rogasti scribere studui* &c. Indignationem saepe movet Librariorum medii aevi sive ignorantia, sive fraus, qua magnorum Virorum nomina Libellis proletariis liberaliter adlevere. Ita qui hic *Bedam* praefert, *Cod.* CCXL. *Augustinum* mentitur. Ad *Adelherum* quendam τῆς Ουτοπιας Episcopum referri ibi dixi in *Cod. Tegernseensi.* Index *Capitum* XV. in praesenti Exemplo nullus, sed in fine haec addita legas: *Obsecro te o carissima soror et domina per illum qui te creauit ut creberrime pro me exorans dicas. deus omnipotens miserere famulo illi. Explicit.* Atque haec *Codex* CCXL. non agnoscit.

DLVII.

331 Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 61. f. non eadem manu, commode tamen exaratus sequentia complectitur: I. Prolixam *Epistolam* ad vitam recte instituendam hortatoriam e *Germania*, ut videtur, scriptam Sacerdotibus *Italis;* ita enim insignitur: *Dilectissimis filiis in christo alpinis ausonicisque partibus degentibus. mare presidentibus. Omnique decoris stemmate preditis Citra dannubii fluenta latitans, inter* (in) *sclauorum montibus et abietum densitudine cubans non sicomoros sed fagos uellicans Noricus italicis blancidius nigerrimis iob laetis senex iuuenibus Christicolis et celibes* (coelites?) *polumque efficaci uolatu penetrantibus. ranicula locis humentibus garriens siue luscinia pippans. Idioma* (te?) *carens tenentibus idioma. Volatiles* (Volatilibus) *terrigena. Extorris indigenis suis licet tetris in domino dominorum paciferam ac permanentem sempiternamque salutem.* Initium Epistolae deprompsum est ex *Epistola VIII. Hieronymi ad Niceam: Comicus Turpilius tractans* &c. Edit. *Veron.* Opp. T. I. p. 20. usque ad ea verba: *Ecce beatus Chromatius.* Dein prosequitur suis verbis Noster: *Namque sepius apices cartarum etiam in neophitis amoris magnitudinem inter nec non* (nec non in?) *quibusdam perfectis exprimere nituntur. Quatenus oculis legatur in syllabis quod cerni minime ualet in mentibus. Ideo uestrae mellifluę memor karissimi germanitatis. Hanc scedulam uobis in commune direxi ut cognoscatis quantam pro uobis habeam sollicitudinem. quam nec terrarum longinquitas nec rubigo oblibionis inter* (in) *palatio* (ita lego pro *interpolatio*, quod sensum non habet, et Scribae vitio *inter* pro

in